Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 973
Quelle:
Copyright:

cesin *Mediol.* a. 1134—36. de qua *Ughellius* T. IV. *col.* 144. Utraque *Odonem* abbatem habuit. Ille quidem celeber Historiographus et Episcopus *Frisingensis* factus *Morimundi Gall.* obiit anno 1159. Iste Abbas serie V. vitam ad a. 1176. produxit. Itaque errorem meum retracto, Sermonesque et ibi relatos et hic referendos *Odoni Longobardico* adsigno. *Vischius cit.* p. 254. eorum numerum ad LVI. profert; Codex vero noster XXXVI. censet, de quibus nunc videamus, quoniam in *Bibliothecam Cist. Tisserii* recepti non sunt, neque *Combefisius* in *Bibliotheca PP. Concionatoria* ex iis nisi *delibata quaedam velut saltem ad gustum* dedit, ut ait in *Recensitis Autorib.* T. I. ubi addit apud se esse repositum et prelo paratum hunc Homiliarum Fasciculum. *Sermo* I. igitur in illud *Isaiae* VII. 18. *Sibilabit Dominus muscae* &c. ita orditur: *Enigma celestis oraculi tangit, quis, quid, quibus, propter quid operetur. Quis? Dominus. Quid? sibilabit. Quibus? muscę et api. Propter quid? ut ueniant et requiescant. Digitus dei est iste, & opus illius, qui uenit uocare non solum iustos, sed & peccatores in penitentia* &c. Justi illi Apes, Peccatores Muscae sunt. *Sermo* II. Thronum *Salomonis* cum VI. Gradibus et XII. Leunculis 3. *Reg.* 10. explicat. *Sermo III. de S. Benedicto* in illud: *Dilectus deo et hominibus* &c. *Eccl.* 45. 1. init: *Naturale est & uirtuti proximat suum honorare principium* &c. *Beatum patrem nostrum* vocat, quemadmodum *Bernhardus*. Quibusdam Sermonibus tempus adsignatum est, puta: *De Adventu, Epiphania, Ascensione, S. Maria, Omnibus Sanctis, Dedicatione Templi.* XXXII. et III. de primis Creationis Operibus agunt. In universum typo digniores sunt, quam multi alii Seculo *Odonis* posteriores, quibus ea fors obtigit.

IX. *fol.* 211. *Tres esse gradus quibus peruenitur ad hereditatem salutis. & angelorum tres ordines distincte operari in illis.* Ita inscribitur Tractatus mysticus, prolixus, in Titulos miniatos distinctus, qui incipit: *Est igitur in primis diuidendum, qui sint gradus, quibus pertingitur ad hereditatem salutis, dein diffiniendum, qualiter operentur angeli in eos, qui gradibus his capiunt hereditatem salutis.* Ex isto principio Prooemium deesse arguas, quod fortassis in Autoris deduxisset notitiam. Prosequitur: *Suprema celestium ierarchia spirituum in tres distinctiones diuiditur. inferiorum superiorum mediorum* &c. Finit Opus: *De X. vero talentis prius differendum est. Sciendum tamen quia unum talentum LX. minas facit. & mina una libram & dimidiam untiam facit. Qua re X. talenta nongentas libras si recte numeremus constituunt.* Vides tractationem abrumpi, et Autorem delectari mystica virtute numerorum. Quid si igitur *Odo Morimundensis* sit, cujus *Analytica Vol.* I. P. 2. *col.* 1353. retuli? Adi *Labbei Bibl. Mss.* et *Vischii Bibl. Cisterc.* inveniesque consentientes. At vero posterior diserte edicit, se Operis Titu-